

B. W. L.

MUSICA VOCALIS,  
CARMEN,

- - - præcipe - - -

Cantus Melpomene, cui liquidam pater  
Vocem cum cithara dedit.

*Horat. Carm. L. I. od. 24. v. 2. seq.*

Indholden.

**D**a Autor laae vaagen en Nat, og alting var stille, begyndte hand at længes, og at giøre sine Betænkninger over, hvor fiedsomme'igt det ville blive, i fald der ingen Lyd var til i Verden, hvoraf tillige ville flyde, at der heller ikke var Vocal-Musique til, da dog Autor fast skulde falde paa de Tanker, at Sang havde sin Oprindelse fra Himmelen. I det samme aabenbarede sig for hannem den Musa, som Horatius egentlig kalder Sang-Gudinden, og besynkede ham i hans Mening, i det hun lærer ham

1.) At Stemmen har den samme Oprindelse, som Mennesket, og sang den samme, som Stemmen; Thi ald Stemme er en Lyd, og Musiquen er ikke andet end Lydens adskillige Forandringer.

2.) Saadanne Forandringer antreffes ikke allene i Lyden, men endog udi alle andre Ting; Thi, ligesom det heele Skabte var kun et Chaos, naar der ingen Orden var til, saa kand der ogsaa ingen Or-

den være til, uden iblant de Ting, der ere forstkællige, saa at den Gene er anderledes, end den anden.

3.) Endskiont nu Gud er *Ken* 3: Ens simplex, saa er hand dog tillige Ordens Gud i Henseende til sine Skabninger, hvilke hand haver kaldet til at være ultiige og adskillige Væsener, just paa det at der kunde være en Orden imellem dem.

4.) At det just synes at være en essential Forskiel imellem Gud og hans Skabninger, at Gud er Ens simplex, og hans Skabninger adskillige paa en u-endelig Maade, det var for høy en Materie for den omtalte Musa, Melpomene, at tale om med Autor, i sær i Anledning af denne Materie. Derfor lader hun sig nøye med at viise, hvad U-orden der ville blive, i fald der ingen Forskiel var iblant Ting i Verden, hvilket hun, for Kortheds Skyld, udfører ved 2 Exempler, spørgende, hvad der ville blive af, i fald der var ingen Farver til? og i fald alle Ansigter vare hverandre lige?

5.) Saaledes (farer hun fort) ville det ogsaa gaae, om al Lyd, eller in specie Røst og Stemme var hinanden lig. Hvorledes kunde man kiende den, som taleder, naar man ikke saa ham? Hvorledes kunde man blive fyrig nok til at redde den, som man havde kjær, og som i Nød raabte om Hielp? Ja! Forstkiellen i Røsten er ikke alleene etableret, paa det at det eene Menneske kand kiendes fra det andet, men paa det at et hvert Menneske kand kiendes fra sig selv, ligesom hand er i adskillig Sinds Bevægelse, (Affect, Passion) til, hvilket med Exempler beviises. Og videre taler hun i denne Anledning om den Virkning, som Udtalen og Gaverne hos et Menneske kand gjøre, og hvor stærkt en Orator derved kand indtage Hjerterne.

6.) Spørges nu, hvoraf det kand komme, at Røsten med saadan Godhed kand indtage Hjerterne? Da svares: Gud har i intet Skab til at være nyttigt, uden at hand tillige har gjort det behageligt. Mad har en behagelig Smag. Blomsterne paa Marken en behage-

behagelig Lugt. Sønnen er behagelig. Men Røsten er behagelig, om noget ellers er behageligt; Thi Vocal-Musiquen grunder sig paa Røsten, og derpaa beskrives obiter, hvorledes Vocal-Musiquen bærer sig ad, for at behage.

7.) Derefter begynder Melpomene paa en høyere Tone. Hun var med ved Verdens Skabelse, og hørte Naturen, da den laae endnu, som en Fugle-Unge i sin Neede. Hun erindrer sig vel, hvad Musiquen formaaede. Først blæste Vindene. Floderne løb. Havet brusede. Græshoppen, Ravnene, de firefødde Dyr lode sig høre: Men alt dette lignede snarere en Bulder, end en Musique. Indtil Perken præluderede for Fuglene i Skoven. Da Fuglene derpaa begyndte, hørte man først en Forsnag paa Musique. da de holdt op, begyndte Nattergalen alleene. Ingen Fugl torde efterabe den. Naturen blev forliebt i sig selv, og befoel, at derefter skulle tages Modell til Hyrde-Fløister.

Det Menneffelige Kion hørte dette an: Dnskede ogsaa at kunde synge. Og sang strax; Thi det var det medfødt, og den medfødt Kraft yttrede sig i samme Øyeblik. Deres Sang var Kiærlighed; Thi Kiærligheds og Guds Throne er een og den samme.

De sang først til Guds, siden til deres Fædres eller Øvrigheds, (thi det var eet og det samme paa den Tid) og endelig til deres Kiæresters Berømmelse. Deres Sang i hvert Tilfælde anføres.

8.) Fra den Tid af bleve Poesien og Musiquen u-adskillelige. Dette Par begyndte ved Joderne, hvorved anføres Mosis og Israels Børns Sang, David, som trakke Englerne og den rette himmelske Harmonie godvillig ned fra Himmelen, Salomon ved Templens Indvielse &c. Da Templet blev forstyrret maatte Musiquen forlade Jorden, dog havde den længe tilforn givet en Straale fra sig, som kom til Grækenland, af hvilken Linus og Orpheus bleve oplyste:  
de:

de: Den vilde vel og gaaet til Rom: Men Skiebneen forhindrede det, efterdi Romuli 12 Ravne vare et ont Omen for Musiquen.

Ved denne Anledning spørger Melpomene, om ogsaa de nye Italienske Operister gjøre det bedre, end de gamle Romere? Hun nægter ikke, at de jo have en god Stemme, og gode Manerer (skönt hun ønskede, at den Stemme blev undertiden erhvervet paa en meere tilladelig Maade.) Men hun siger, at hverken passer Røsten sig til Ordene, ikke heller Ordene sig til Sagen, ikke heller Sagen sig til Personerne. For Exempel i Ezio: Naar Valentinianus skal give en Ordre ud, naar Aetius skal levere Sverdet fra sig, saa synges der *fiint*. Aetius, naar hand bliver defarmeret, er fornøyet naar kun Keiseren bliver rød i Ansigtet. Valentinianus er et Fruentimmer, og Aetius en saadan Person, der ved Menniskens Hænder er dannet til at synge *fiint*.

Da sang eders Nordiske Skialdre anderledes (siger Melpomene) saasom Thormod hos Kong Oluf den Hellige; Thi saa snart sang hand ikke Biarkamal, forend den heele Armée kom i Bevægelse, ligesom det kunde have været en Bye, hvis Borgere formedelt en stor Konges Opmuntring tage sig fore at bebygge øde Pladser, saa at derpaa opføres Huuse, Palais, Hospitaler, Opfostrings Huuse, og Kirker.



**N**ox erat & puræ facies argentea lunæ  
 Splendebat, raptura mihi, tamen usque volenti,  
 Dulcem alias somnum: sed vasta silentia circum.  
 Nec vox est hominis, pecudisve audita, nec ipsi  
 Spirabant, quamvis tenuissima fibila, venti.  
 Mirabar. Jamque insolitæ taciturna quietis  
 Tempora vix labi, desertaque pænè videri  
 Natura & minimum vitæ non reddere signum.

Hic

Hic mecum: Frustra est nihil ergo? nec ipsa ea, quæ non  
 Tam res, quam rerum potius quis dixerit umbras.  
 Sic sonus haud certe frustra est; Proh! quanta sine illo  
 Tædia! quis torpor? si nusquam blanda loquelæ  
 Svada foret - majora loquor - si musica nusquam?  
 Te, te ego credidërim, modulatâ voce canoram,  
 Musica cœlesti, si fas sit, origine cretam.  
 Scilicet humanus non te labor extudit unquam,  
 Sed virtus nativa tua est. Dum talia verso,  
 Astitit ecce, polo delapsa per æthra serenum,  
 Forma Deæ. Quali facie, dignoscere promptum  
 Non fuit attonito: sed toto in corpore nil non  
 Concinnum vidi. Citharam quoque forte notavi,  
 Cui tremulas furtim chordas vibraverat aër.  
 Hæc prior: Et quis te, strepitu nutrite forensi,  
 Tanta agitare jubet? Rerum cognoscere causas  
 Hi poterunt, quorum genius sublimior astris  
 Illuxit: Sed enim, quia vatibus omnia fas est  
 Quærere, nec forsan quodam sine numine quæris,  
 Adde fidem dictis, Eadem, quæ vocis, origo  
 Est hominis, cantusque eadem: Nam musica vox est.  
 Musicus infantis tenero vagitus in ore,  
 Musicus infirmi senis æger anhelitus: omnis  
 Vox sonus est, omnisque soni variatio rursus  
 Musica, quotque modis tremulas hic excitat auras,  
 In totidem juxta sese induit illa figuras.

Nam Deus (ipse licet simplex sit & unus & idem)  
 Mille per ambages & per discrimina mille  
 Texuit hoc totum. Species, mixtura, vicesque  
 Innumeræ; Nihil est nexum quod funditus omnem  
 Respuit, inque uno nihil absorberetur eodem.  
 Non folium folio, non est contermina glebæ  
 Gleba suæ similis, non pisci piscis, avisve  
 Instar avis. Quid parva moror? Vastissima tellus

Non pariles hominum facies vultusque gemellos  
 Monstrabit binos: Sunt, sunt discrimina tanti.  
 Nullus, inanis, enim est expers discriminis ordo,  
 Rursus inane chaos totum hoc foret, ordinis expers.

Plurima sic homines oculis vulgaria vestris  
 Apparent, acrem quæ vim tamen ipsa profundi  
 Consilii, & magnæ produnt molimina mentis  
 Certa: sed assiduus mirabile deterit usus.

Quis varios picto miratur in orbe colores?  
 Finge tamen solis nusquam vel pingere fractos,  
 Vel frangi radios, & nil, nisi lumen & umbras.  
 Hei mihi! quid fiet? jubaris lux alma diurni  
 Omnia turbabit miscens, distinctaque nusquam  
 Invenient elementa fidem, nec ab aere nubes  
 Dignosci poterunt, poterit nec ab æquore tellus.  
 Ecce aliquis tremulas undanti vertice messes  
 Aspicit, & ventis credit vada falsa moveri,  
 Aut, ubi stare videt tranquilla silentia ponti  
 Florida prata putat jugi porrecta tenore.  
 Veris honor fugit omnis & omnis gratia ruris,  
 Tu quoque, quæ gressus regis, & vestigia firmas,  
 Tu quoque, vix notum, distantia, nomen haberes.

Cum similes habeant partes, tamen ora videmus  
 Singula quæquæ virum diversa: ita tenuia semper  
 Innumeris natura notis discrimina signat.  
 Ni faceret, quantum nunc formæ regula dispar  
 Segregat a brutis homines, contraria tantum,  
 Inter se, nimium similes, disjungeret ipsos;  
 Nam quæ fida satis facies? si fallere pronum  
 Mentitâ alterius persona, & reddere nexus  
 Naturæ ambiguos? si solvere jura sacрати  
 Officii? sumto diademate quilibet audax

Rex erit, immeritosque (nefas) invadet honores.  
 Irrepet vetitos pro conjuge tectus adulter  
 In thalamos: nec amicus erit distinctus ab hoste.  
 Confusæque domus, errorum scena perennis,  
 Disrumpent sociæ pulcherrima vincula vitæ.

Par ratio est sonitus. Illo variante, tenebras  
 Per noctis, per opaca, jugis horrentibus, antra,  
 Currimus ad notas voces, dubiasque, cavemus.  
 Illius auxilio vitam clamore redemit  
 Heu! puer incautus, quem lætis, flumine mersum,  
 Irato similis genitor citus extrahit ulnis.

Nec varius tantum sonus est, ut quilibet unus  
 Differat a reliquis, sed ut à se differat ipso;  
 Namque atrox ubi bella ciens civilia Mavors  
 Lugubres multa consevit funere campos  
 Non eadem matri vox est, cum pallida gnati  
 Membra sui (spes ille domus, sed devius ardor  
 Abstulerat cæcum juvenem) clypeoque cruento  
 Dependens exsanguie caput, gutturque supinum  
 Cernit, & indomito defixum in pectore vulnus.  
 Et, cum victorem, patriæ pro parte, maritum  
 Incolumem, meritaque ornatum tempora lauru  
 Anxia præsentit, nec jam procul abfore, noto  
 Nunciat hinnitu sonipes, pulvisque viarum,  
 Et circum-fusæ murmur lætabile turmæ.

Sic varios motus, etiam pugnancia sensa,  
 (Ut gravis est vel acuta) potest vox fingere mentis.  
 Et, velut ecce! vides paucos in sole colores,  
 Qui per cœruleum nunc aurea vellera cælum  
 Nunc ferrugineas nubes & fulgure fœtas,  
 Et modo tesqua situ ac salebris scabra, & modo pingunt  
 Purpureas valles, atque omnia secula florum;

Talis item sonus est. Aditum sibi quærit in omne  
 Pectus, in affectu ludit versatilis omni.  
 Incassum dubia sudans Orator in arte  
 Dispergit flores, incassum mella profundit.  
 Ille dabit nervos, solus dabit ille lepores  
 Flexanimus; dictis addit vel derogat ille;  
 Cum voluit, verum trahit in contraria sensum  
 Aut rapit in sublime etiam vulgaria verba.

Accipe nunc, tanta cur vox dulcedine mentes  
 Afficiat, causam: Nihil, inter commoda vitæ,  
 Quæ Deus humano generi dedit, utile, quod non  
 Dulce simul. Grati sic sunt alimenta saporis,  
 Gratus odore color grato permixtus in herbis.  
 Membra quies grato demulcet langvida somno.  
 Et grata inprimis vox est; namque illius alma  
 Finxit & asseruit pulchras sibi musica dotes.

Principio modulis, lævi suspenfa tenore,  
 Allicit innocuis mentes, &, callida molli  
 Sensim subrepat vix percipienda meatu.  
 Langvidaque enervem tenero per pectora sensum  
 Distribuit lapsu. Jam nunc suspiria, jam nunc  
 Pæne movet lacrymas, ita lamentabile carmen  
 Singultim gemitu prodit. Vox ipsa videtur  
 Desolata mori. Sed enim præcordia rursus  
 Saucia demulcens, & respirantia palpans,  
 Ecce spei radios interlucere micantis  
 Blanda facit, tum clara oritur, tum limpida gliscit,  
 Exultans, & ovante alacris modulamine plaudit.  
 Mox hilares animos magis irrequieta magisque  
 Pungit, & arguto titillat crebra tremore.  
 Tinnula deinde crepat, mixtosque reciprocatur ictus  
 Et ferit, & stridet victrix, numerosque tonantes  
 Asperior vibrat, donec vim sanguinis omnem



Calfacit, accendens iras, & fortia corda,  
Turbineoque rapit clangens super astra tumultu.

Ipsa ego (namque olim vidi torpentia rerum  
Principia, & parvi nutrix cunabula mundi  
Versavi) teneros cum primum imbellis & infans  
Tentaret natura sonos (ut pipit in alto  
Pullus avis nido) memini quid musica posset.

Leniter halarat, purasque favonius auras  
Cœperat inspirans animare, & acuta comantes  
Per sylvas foliis transmitters fibila crispis.  
Roscida jam lapsi molles per prata susurros  
Spargebant rivi, jam claro murmure proni  
Pulsabat ripæ resonam vis fluminis oram.  
Protinus argutæ per gramina picta cicadæ  
Subsultim strident, raucus ferit aëra corvus,  
Et grex in placidis ranarum concrepat undis.  
Et tenerum balant pecudes, & pascua complet  
Nobilioris equi fremitus. Sed cuncta fuere  
Confusæ sonus artis adhuc, propiorque fragori.

Vos vero palmam reliquis animalibus omnem  
Præripuistis, aves! cum primum filia blandi  
Veris, alauda, dedit justî prologia cantus  
Vicino nemori, suspensa in nube serena.

Illam picta caput carduëlis, pictaque pectus  
Fringilla, & gravior merula, & passerulus oris  
Hospes in arctois, & obesa, in valle, cothurnix,  
Innumeræque aliæ (quis enim distinxerit omnes?)  
Certatim excipiunt, & per vocalia rostra  
Implicitos modulos velut uno ex gutture fundunt:

Finierant, & parva fuit mora: protinus ecce!  
 Vimineos inter frutices inopina sonorum  
 Multiplici accentu pectus philomela resolvit,  
 Sola canens. Nulla est imitarier ausa volucris.  
 (Nec potuit) tam dulce melos - stupet incia sylvæ  
 Et cantum attonita infvetum bis reddidit echo.  
 Subrisit natura parens, tunc visa placere  
 Ipsa sibi, clarosque modos pastoris iussit  
 Secula compactis septem resonare cicutis.

Audiit humanum genus, & miratur, idemque  
 Possesse cupit, potuitque. Ita se nativa facultas  
 Exseruit raptim, dotesque vocavit ad usus  
 Congenitos. Omnis sermo tunc cantus, & omne  
 Carmen amor. Nam fundat amor sua scepra suumque  
 In folio, sine fine, Dei, sine limite, regnum.

Floreaque ut placido tunc sole per arva vagatum est,  
 Ad nitidos latices, collis frondente sub umbra,  
 Forte chorus juvenum, spectans fulgentia cœli  
 Cœrula, fœcundæ telluris amœnaque tempe,  
 Hæsit, mirantes & sic prorupit in hymnos;  
 Omnipotens, æterne, Deus, mitissime cœli  
 Rex, hominumque parens! nil nuper eramus, & ecce!  
 Te spirante fumus. Quam svave existere nostrum est?  
 Svavius hoc ipsum tamen est sentire. Quid autem  
 Non fumus? Hos alacres sensus, hæc membra dedisti  
 Flexilia, hac pulchra nos in regione locasti,  
 Subnascuntur ubi nobis nova gaudia semper,  
 Ergo licet gratam feciem telluris & undæ  
 Ergo globum solis rutilantem & candida lunæ  
 Cornua, fidereasque oculis haurire cohortes?  
 Te tamen auctorem cur non simul? an, quia mundi  
 Portio compositi tantilla est obvia nostris

Luminibus, multo minus est comprehendere visu  
 Quem ratio partis facit infinita capacem  
 Nullius. Simplex tu simplice mente videndus,  
 Mens igitur donum reliquis pretiosius; oris  
 Halitus illa tui, quæ permanet integra & expers  
 Interitus, quæ te cognoscit sola, colitique,  
 Et sibi pura statum, quisquis felicior hęc est,  
 Vindicat, & crescit, viresque adqvirit, amando.

Appulerat cantus senis advenientis ad aures,  
 (Crescentis Rex ille rei, Præsulque, Paterque) (a)  
 Et prior, o! Nati (sic vos ego semper amicos  
 Sic hilares videam vegetosque) referte, quis ordo  
 Carminis? & memori mea figite pectore dicta:  
 Inprimis celebrate Deum, qui summa bonorum est.

Illum omnes venerati animis oculisque faventes  
 Excipiunt, quorum natu sic maximus infit:  
 Qvin Pater! hoc, ipsum hoc agimus; solennia sed tu  
 Verba præi; Nam quis pietatis amantior alter?  
 Tu primum æternas docuisti attollere mentes  
 Ad summum verumque bonum; socialia per te  
 Vincula stant connexa, tuoque hortamine (mirum)  
 Publica, sepositis propriis, quæ munia obimus,  
 Priva salutari redeunt in commoda gyro!  
 Nec monitis opus est virtutem arcessere longe,  
 Illa tuos decorat canos, manifesta que tecum  
 Ambulat, exemplum domus est tua, norma que morum  
 Sufficiens. Fovit nos hæc puerilibus annis

Felices.

---

(a) Pope Ethic. Epistl. 3. v. 217.

King, Priest, and Parent of his growing State.

Felices. nostræ leges, tua jussa fuere,  
 Consilia ut nunc sunt. Ferme discrimine nullo,  
 Consiliis quoniam non asperiora fuere.  
 Nec licet hunc patrium tibi posse rependere amorem,  
 Et superat vires. Gratis meminisse licebit,  
 Inque tuos (sic ordo jubet) conferre nepotes.

Splendor ab occiduo genialia carmina sole  
 Finit, & dubiam populere crepusculâ lucem  
 Blandus hymen castis sensim delabitur alis,  
 Par juvenile petens, puerum, æquævamque puellam  
 Conjugii quos alma fides ante ora parentum  
 Junxerat. Instinctum sensit, thalamique maritus  
 Compellat sociam: Viden', ut defessa quietem  
 Cuncta animata petant? Sed tu, dulcissima, mecum.  
 Ipse meis lectum manibus tibi, mollia stravi  
 Gramina; namque mihi, sine te, spes nulla quietis.  
 Multa, (nec invideo) reliquis communia mecum  
 Tu soli mihi sola data es. Te jure poposci  
 Consortem; quoniam pulchros ego frontis honores  
 Purpureasque genas, & eburnea colla notavi  
 Primus, & os roseum, & claros, comique serenos  
 Majestate oculos, motumque habitumque decentem.  
 Omnia mirabar: sed puram ante omnia mentem,  
 Indolis atque animi dotes, moresque modestos.  
 Ah! quoties proprias mea visa relinquere sedes  
 Velle anima, inque tua penitus se mergere totam,  
 Obstarent ægri nisi claustra micantia cordis.  
 Ah! quoties anceps dubitavi, plusne parentes  
 An te amo? difficilem non ausus solvere nodum.

Nec potui, Solum liquet hoc: te absente parentes  
Semper amo, sed tristis amo. Præsente vicissim  
Interdum fateor me vix meminisse parentum.  
Dixit, & amplectens libavit amica volentis  
Oscula, flammeolo nox pronuba contegit ambos.

Inde comes moduli nunquam divulsa poësis,  
Libravitque soni gravitatem & multum acumen.  
Inclita per terras felici copula nexu  
Protulit imperium. Tu sceptri prima canori  
Servabas, gens Abramidum, moderamen & ictum  
Horruit invisos inter tua tympana cantus  
Memphis, & Ifiaci manes tremuere tyranni.  
Nec præbere manus ars officiosa negavit  
Apta fatiscentem chordis attollere vocem.  
Læta Sion! quanto credam tua mœnia motu  
Exultasse, Deo postquam gratissimus Heros  
Ipse fides acuit, pleetra ipse sonantia movit,  
Cœlicolûm plaudente choro, tunc fata recludens  
Spiritus incubuit citharæ, primævaque sese  
Harmonicis passa est diduci musica spheris.

Illam quidem templi penetralia sacra profanis  
Heu! manibus temerata videns, invita recessit,  
Sæpe gemens, oculis adyta hæc sua sæpius udis,  
Quæ quondam in nebula Numen compleverat ipsum,  
Respiciens: terris longe tamen ante benignum  
Indulsi radum; velut inclinatus horizon  
Solis ad occasum pallenti stringitur auro.

Tunc Hellas venerata Linum, tunc Orphea, vates:  
 Nec Te præteritam cuperet, nisi fata vetarent,  
 Roma potens: sed fata vetant, vocique finistrum  
 Bis sex augurium corvi cecinere Qvirino.  
 Nec saliare Numam docuit quæ Carmen amicum  
 Egeria, est musas inter celebranda canoras.

An meliora chori, quos Itala nunc quoque tellus  
 Emittit? Certe his non ars, neque gratia vocis  
 Nulla, per humani generis dispendia si non  
 Elicitam, natura gemens audiret & horrens.  
 Sed præter vocem nihil est cui plaudere possis;  
 Nam neque carminibus voces, neque carmina rebus  
 Nec res conveniunt Personis, ipseque nollet  
 Talia traduci se per spectacula Narses  
 Semivir (a) ad Ligerim victor, dum (b) traderet enses,  
 Flens tamen, & fratros cantaret Aëtius Hunnos,  
 Erubuit Cæsar, male conscia, (c) salvaque res est. (d)  
 Æstuat infelix & iniquo percita fato  
 Fulvia, pro caro quoniam timet omnia sponso.  
 Uritur Augustus, succenset Honoria, & ipse  
 Aversus pater est: sed tanta pericula constans  
 Vincit amor - quare? (e) fluvius quia deserit alveum,  
 Atque obices Victor secum trahit in mare cunctos.  
 Rusticus interea trepidus discurrit, ubique  
 Obturans rimas, centumque foramina frustra  
 Obstruit. -- Hoc bellum est? hæc ter repetita placebunt?

Haud

---

(a) Ricciarelli. (b) Ezio Atto 2. sc. 6. (c) Marianna Galeotti. (d) Terent. Act. 4.  
 Scen. 5. v. 9. (e) Ezio Atto 1. Sc. 13.

Haud similes Scaldos populi, quibus imminet arctos  
 Fovistis Phœboque sacros & Marte potentes.  
 Hi propius, tecti clypeato, prælia vallo (a)  
 Spectabant, Regum comites, & facta virorum  
 Fortia, fortunæque vices & honesta notabant  
 Vulnera, tum claro conspersi sanguine laurus  
 Festa celebrabant lætis convivium mensis,  
 Atque inter strepitus armorum nata canebant  
 Carmina, culta minus, quam forti mascula vena,  
 Unde Duces, rerum testes, & Regia pubes,  
 Justitiam & mores, insignia pacis, & artes  
 Militiæ acciperent, venerandaque nomina avorum.

Talis erat quondam Vates quem Sticla canentem (b)  
 Audit; hunc Sanctus placide compellat Olafus,  
 Luce vigil prima, cum cœtera castra teneret  
 Somnus adhuc: Thormode, precor, mihi tempora cantu  
 Falle. Volens paret jussis, & voce sonora  
 Intonat antiquus cecinit quæ carmina Biarco:

”Ocyus evigilet quisquis se Regis amicum

”Aut meritis probat aut sola pietate fatetur. (c)

Vix primos juga celsa sonos, vix pinea sylva  
 Reddiderant, vallisque simul responderat ima:  
 Ecce inopinato strepitus per castra moveri,  
 Et vulgi magis atque magis crebrescere murmur.  
 Jamque enses clypeique crepant, & acuta securis,

Ma 2

Martia

(a) Snorro Sturlæus in vita Olai Sancti ed. Svec. Tom. I. pag. 768. Cap. 218.

(b) ibid. Cap. 220. p. 771.

(c) Sax. Hist. Lib. 2. Rolvon. ed. Sor. p. 32.

Martia perque vices inflantur cornua mixtim.  
 Acribus hinc animis, oculisque ardentibus, omnis  
 Impiger arma rapit, poscitque exercitus hostem.

Haud aliter, quàm cum Tua Regia cura fidelem  
 Antiquamque, Pater Patriæ! ornat & ampliat urbem;  
 Nam, simulac monitis blandita salubribus, aures  
 Vox tua civiles, sacro de pectore manans  
 Imbuit: incumbunt operi: stat plurima præsto  
 Machina: normali prolabitur area tractu:  
 Inde domus nitidæ, celsa inde palatia surgunt  
 Ipsaque cœlesti Clementia inaugurat ore  
 Hospitia emeritis consolatoria canis:  
 Evocat ipsa ædes, ubi egena puertia frugi  
 Sedulitate vigens, alacremque lucrata juventam,  
 Fundamenta jacet locupletis firma senectæ.  
 Templaque, perpetuæ testes pietatis, ubi ingens  
 Olim turba virum vota exaudita, in iisdem  
 Quæ pueri lingvis toties vovere tenellis,  
 Longævo pro Rege senes ardentia solvant.

